



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Septem Illustrium Virorum Poemata

Amstelodami, 1672

Epulum Augustini Chisii, In porticu supra Tiberim pensili, Leoni X. Pont.
Max. & compluribus Cardinalibus datum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11215

Si, licet obscurâ celetur nocte, pyropus
 Nativo rutilum provocat igne diem:
 An poterit diffusa tuæ lux aurea Musæ,
 An poterunt gentis signa latêre tuæ?
 Sidera scintillant, sublimi vertice Quercus
 Eminent, & fenis Mons subit astra jugis.
 Sed pudor, & castæ divina modestia frontis,
 Nobilior Tyriis purpura muricibus,
 Vatis Apollinei titulos, nomenque recusat,
 Phœbeâque vetat tempora fronde tegi.
 Nec te grande sophos, nec famæ cura moratur,
 Nec fucō roseas gloria picta genas.
 Virtuti fatis est cælo se teste probari,
 Et sese famæ notitiæque negat.
 Ut neget, invitam curru sectatur eburno,
 Et circumfuso lumine vestit Honor.
 Sic radiant puro servata corallia vitro,
 Sic lucent calathis lilia virgineis.
 Sic adamas fundo mersus pellucet in imo,
 Sic micat auriferi dives arena Tagi.

E P U L U M

AUGUSTINI CHISII,

*In porticu supra Tiberim pensili, LEONI X.
 PONT. MAX. & compluribus Car-
 dinalibus datum.*

L Audarunt alii convivia ditis Elisæ,
 Et Luculleas, Alcinoique dapes,

Et quas Romano cœnas Cleopatra marito
 Influxit Phariis perdita deliciis :
 At mea sollemnes epulas, & Regibus æquas,
 AUGUSTINE, tuas Musa loquatur opes.
 Stat super impendens Tiberinæ porticus undæ
 CHISIA, divitiis nobilis Attalidis ;
 Hospite nobilior, vultu dignata LEONIS,
 Quò posuit curas Urbis, & Orbis onus.
 Hæc quoque purpureos aurato limine Patres
 Accepit, totidem ceu Jovis aula Deos.
 Quæ mensis tum dona Ceres, quæ dona Lyæus
 Intulit, & largo Copia læta sinu !
 Vix tulit ipsa suum genialis mensa paratum.
 Et pretii quota pars ipse Lyæus erat ?
 Fulgebant auro, fulgebant pocula signis,
 Fulgebant rutilis aspera chrysolithis.
 Pascebant oculos perfecta toreumata cælo,
 Aut Myos, aut dignus Mentoribus arte labor.
 Ipsa penus populo poterat satis una videri :
 Hic poterat genio quisque litare suo.
 Sic, ubi prostratos celebrarunt vina Gigantes,
 Semideis licuit poscere vina Jovem.
 Res nova : cælatas ceperunt retia lances,
 Et Polycleteâ vasa superba manu.
 Miratur Tiberis projectas flumine gazas,
 Et quas nec Ganges, nec vehit Hermus opes.
 Innocuam pisces escam mirantur in undis,
 Mirantur nullo retia tensa dolo.
 Retia nulla suis, nec quæ Nero texuit auro,
 Præmia captarunt divitiore plagis.
 Scilicet argenti quidquid Tiberinus & auri
 Ceperat : hæc domino restituere suo.

Inunc, & Crassum memora Romana vetustas,
 In Parthos auri quem facer egit amor.
 Serviit ille opibus: laudato CHISIUS usu
 Effusæ dominum se probat esse rei.

A D

AUGUSTINUM FAVORITUM.

*De morte Natalis Rondinini, ALEXAN-
 DRO VII. Pont. Opt. Max. ab
 Epistolis ad Principes.*

Non ita Lampetie casu Phaëthontis acerbo
 Flevit, & ambusto Cygnus in amne Padi;
 Non ita Pelides, mediâ cum vidit arenâ
 Actoriden sparsis cæde jacere comis;
 Tros Anchisiades non sic Pallante peremto,
 Nec Theseus cari funere Pirithoi;
 Ut mihi mœsta pio tabescunt lumina fletu,
 Imaque perpetuos pectora dant gemitus:
 Dum desiderio mentem perfixus inani,
 NATALIS mutos conqueror ad cineres.
 Crudeles Divos, crudeliaque astra vocanti,
 Nulla venit misero nocte diève quies.
 Nec magis, heu! lacrimis saturatur luctus amaris,
 Quàm matutino rore perustus ager.
 Si fugit interdum, vagus ut Mæander, in orbem
 Mox redit, & sese decipit ipse dolor:
 Notaque dilecti passim NATALIS imago
 Occurrit madidis obvia luminibus,

Dulcè